

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0243

0241

0247

0237

0252

0232

0292

0192

0342

0142

0742

231

O frater humane, utinam videres Jerosolymis, quam venerabilis est illius execrabilis Machometi templi aspectus, et delectabilis ejus aditus, ut patet fol. 227. B., quam munda atria et quieta, quam splendida et clara in omnibus munditia, quam devotus ingredientium processus, quam serius orationum gestus, cum quanta disciplina mulieres non nisi velatis facibus ibi se continent, et viri ab eis segregati in silentio orant! Si hoc in silentio videres, grave scandalum (**B**) vel gravem indignationem sumeres contra fidelium negligentiam et irreverentiam, quae est circa ecclesias nostras. Verum tamen et haec ipsa negligentia in melius interpretari potest, quia cum vera sacramenta habeamus, quorum principales effectus consistunt in mortuorum commendatione et animarum sanatione, ad quam omnis fidelium conatus tendit, ideo minor sollicitudo est circa exteriorum templorum ornamenta. Gentiles vero, qui animae puritatem non quaerunt, cum tanta diligentia exteriorem munditiam sectantur. Si autem Christiani illas immunditias admittunt propter irreverentiam et incuriam, gravis abusio est, sicut patet per Hugonem, qui inter XII claustrum abusiones unam ponit, irreverentiam circa altare.

#### Templum beatae Mariae Virginis in area Arnae.

Ad latus australe Bethel et templi, quod nominant Salomonis, in eadem area Arnae Jebusaci est aliud grande templum et ecclesia perpulchra, ad modum ecclesiarum nostrarum per omnia, quae excedit templum Salomonis magnitudine propter longam ecclesiae navem, et est plumbo tecta, et multis per circuitum fenestris illustrata de die, noctibus vero octingentae in eo ardent lampades, quia est mameria apud Sarracenos sanctissima. Quis autem hanc ecclesiam construxerit et quando constructa sit, plane invenire non potui ab aliquo conscriptum. Apud me tamen indubitatum manet, quod Christiani eam fecerint post ultimam civitatis sanctae recuperationem, tempore latinorum regum Jerusalem, quia forma et aedificii qualitas indicat eam a Christianis constructam. Sicut forma templi, quod nominant Salomonis, manifeste monstrat, quod a paganis est constructum, nec

Ende

Anfang